



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

De statu, & conditione primi hominis ante peccatum, seù de statu
innocentiæ, & naturæ integræ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

rudo enim in incorruptibilitate, cum sit communis etiam irrationalibus, deficit à ratione imaginis. Per hanc doctrinam possunt intelligi, & conciliari plures Patrum locutiones.

De statu, & conditione primi hominis ante peccatum, seu de statu innocentie, & natura integræ.

Sanctus Thomas quæstione 91. & 92. agit de productione primorum hominum: & quia facti sunt ad imaginem Dei, quæstione 93. examinavit, in quo consistat imago Dei. Quæst. 94. & sequentibus disputat de statu primorum hominum ante peccatum: & quia ante peccatum habuerunt naturam integram, agit de statu, & gratia naturæ integræ. Et primo quidem agens de statu Adam quoad animam, quæst. 94. disputat de statu Adam quoad intellectum: quæstione 95. de statu eiusdem quoad voluntatem, gratiam, & meritum: quæst. 96. de dominio, quod homini conueniebat in statu innocentie. Descendit deinde ad agendum de statu primorum hominum quoad corpus, ac quæst. 97. agens de ijs, quæ spectant ad conseruationem individui, examinat, vtrum, & quomodo homo in statu innocentie fuisset immortalis, & impassibilis, ac indigisset cibis, ac edendo de fructu ligni vitæ, fuisset immortalitatem consecutus. Quæstione 98. 99. 100. 101. agit de ijs, quæ pertinebant ad conseruationem speciei, & examinat, vtrum, & quo pacto in statu innocentie fuisset generatio filiorum, & qualis fuisset conditio prolis quoad corpus, quoad iustitiam originalem, & quoad scientiam. Quæstione 102. disputat de loco hominum in statu innocentie, seu naturæ integræ, hoc est de paradiso terrestri. Doctrinam harum quæstionum examinabimus.

QVÆSTIO CCLIV.

Verum primus homo viderit Deum per essentiam, & quam cognitionem de Deo habuerit?

S. Thom. quæst. 94. art. 1.

1. **V**idetur primus homo, hoc est Adam, vidisse Deum per essentiam: primo, quia beatitudo consistit in visione Dei per essentiam, vt dicitur in Tractatu de beatitudine: sed vt docet Damascenus lib. 2. de fide, cap. 11. primus homo in Paradiso conuersans beatam, & omnium diuitem habuit vitam, idemque supponit Augustinus lib. 14. de Trinitate, cap. 10. dicens: *Si homines habebant affectus suos, quales nunc habemus, quomodo erant beati in illo inenarrabilis beatitudinis loco, id est paradiso? ergo.*

2. Secundo Augustinus lib. 14. de Ciuit.

cap. 10. dicit, quod primo homini non aberat quippiam, quod bona voluntas adipisceretur: sed bona voluntas nihil melius potest adipisci, quam visionem Dei per essentiam; ergo primo homini non deerat visio Dei per essentiam.

3. Tertio si Adam non vidit Deum per essentiam, non potest satis explicari, quo genere cognitionis Deum cognouerit.

4. Respondeo plura dubia posse examinari. Primo ergo quæritur, vtrum Adam ante peccatum permanentem viderit Deum per essentiam?

Respondet negatiue Sanctus Thomas. Probat: nam summum, & infinitum bonum continens omnia bona, cum videtur prout est in se, necessitat videntem ad illud super omnia amandum, ac proinde ad non peccandum, ac reddit videntem impeccabilem, vt magis explicabitur suo loco: sed Deus est summum, & infinitum bonum continens omnia bona: ergo Deus visus prout est in se necessitat videntem ad Deum super omnia amandum, ac ad non peccandum, ac proinde reddit videntem impeccabilem: sed Adam fuit peccabilis, ac de facto peccauit: ergo. In idem recidit ratio, quam affert Sanctus Thomas. Beatitudo enim præsertim possessa, & experimentaliter cognita, ita necessitat possidentem ad illam amandam, vt non possit ab ea auerti, peccando, siquidem vnusquisque vult esse beatus, & non vult esse miser: Sed visio Dei est ipsa beatitudo, vt dicitur in Tractatu de beatitudine: ergo qui videt Deum, non potest à sua beatitudine auerti, peccando, ac proinde per visionem immediatam Dei redditur impeccabilis: sed Adam fuit peccabilis, & de facto peccauit: ergo Adam non vidit Deum permanentem. Videri possunt quæ in simili dicta sunt quæst. 171. num. 10. & 11. vbi probatum est Angelos, dum fuerunt in via, non vidisse Deum per essentiam.

5. Quæritur secundo, vtrum Adam viderit Deum visione transitoria in illo raptu, quem habuit, cum Deus immisit soporem in Adam, & revelauit illi mysterium Incarnationis, vt dictum est quæst. 251. n. 25.

Respondeo aliquos affirmare, alios negare, Sanctum Thomam hoc art. 1. quæst. 94. nec affirmare, nec negare. Probabiliorum existimo sententiam negatiuam, quam etiam sequitur Suarius lib. 3. de Opere sex dierum, cap. 18. num. 2. Ratio est, quia licet ex verbis Scripturæ inferatur Adamo in illo sopore reuelatum fuisse mysterium Incarnationis, nullo pacto inferitur, quod raptus fuerit ad videndum Deum, prout est in se: ergo sine fundamento asseritur, quod viderit Deum, prout est in se, præsertim cum Ioan. 8. dicatur: *Deum nemo vidit vnquam*, & Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet.*

6. Quæritur tertio, qua cognitione Adam ante peccatum cognosceret Deum?

Respondet Sanctus Thomas, quod primi hominis cognitio quodammodo media erat inter

Yyy 2

cogni.

cognitionem præsentis status, & cognitionem patriæ, qua Deus per essentiam videtur. Probat, & explicatur. Nam Deus vel videtur per essentiam, vel cognoscitur per creaturas: sed Adam non videbat Deum per essentiam: ergo cognoscebat Deum per creaturas: sed Deus perfectius cognoscitur per creaturas perfectiores, ac Deo similiores, quam per creaturas imperfectiores, ac minus Deo similes, proportionaliter ac quod videtur per speculum, melius videtur per speculum perfectius, & in quo eius imago expressius resultat: Adam autem cognoscebat Deum per creaturas perfectiores, ac Deo similiores, nos è conuerso in hoc statu naturæ lapsæ cognoscimus Deum per creaturas imperfectiores, ac Deo minus similes: ergo Adam cognoscebat Deum perfectius, quam nos, ac proinde cognitione media inter cognitionem præsentis status, & cognitionem patriæ, qua Deus per essentiam videtur. Probat, quod Adam cognosceret Deum per creaturas perfectiores, ac Deo similiores, quam nos cognoscamus. Nam effectus intelligibiles, & incorporei sunt perfectiores, ac Deo similiores effectibus sensibilibus, ac corporeis, & proinde perfectè cogniti ducunt ad perfectiorem cognitionem Dei, quam effectus sensibiles: sed Adam cognoscebat effectus incorporeos, ac intelligibiles multo perfectius, quàm nos: ergo per effectus intelligibiles cognoscebat Deum multo perfectius, quam nos. Probat minor: nam homo in statu præsentis naturæ lapsæ à consideratione plena, & lucida, intelligibilium, & incorporalium effectuum impeditur per hoc, quod distrahitur à sensibilibus, & circa illa occupatur: sed Adam ante peccatum à sensibilibus non impediatur à clara, & firma contemplatione effectuum intelligibilium, & incorporeorum, quos ex irradiatione primæ veritatis percipiebat cognitione naturali, vel supernaturali, & gratuita: ergo. Probat minor: nam ut dicitur Ecclesiast. 7. *Deus fecit hominem rectum*: sed rectitudo hominis diuinitus instituti consistebat in hoc, ut inferiora superioribus subderentur, & superiora ab inferioribus non impederentur: ergo primus homo ante peccatum à sensibilibus non impediatur à perfectâ, & firma cognitione intelligibilium effectuum, ac proinde per effectus intelligibiles perfectius cognitos perfectius Deum cognoscebat, quam nos. Ideo Augustinus libr. 11. de Gen. ad litteram cap. 33. loquens de primis hominibus dicit. *Fortassis enim in alijs inuisceribus effabilibus, vel ineffabilibus modis Deus cum illis antea loquebatur, sicut etiam cum Angelis loquitur, ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum &c. etsi non tanta participatione diuina sapientia, quantum capiunt Angeli, tamen pro humano modulo, quantumlibet minus, sed ipso genere uisionis, & locutionis.*

7. Quæritur quarto, vtrum Adam ante peccatum cognosceret Deum sine medio, vel per medium, & per speculum, & in ænigmati?

Respondet Sanctus Thomas in resp. ad 3.

quod dupliciter aliquid potest cognosci per medium: primo ita, ut cognoscatur simul tempore cum ipso medio, eo pacto, quo cum aliquid videtur per speculum, videtur simul cum ipso speculo. Secundo potest aliquid prius ignotum cognosci per medium, eo pacto, quo quædam veritates prius ignote cognoscuntur per medium demonstrationis. Hoc supposito, Adam non cognoscebat Deum, per medium secundo modo, quia in primo instanti creationis cognouit Deum, qui proinde nunquam Adamo fuit ignotus, sed cognoscebat Deum per medium primo modo, quia non cognoscebat Deum per diuinam essentiam, sed per effectus intelligibiles, per quos ita Deum cognoscebat ut simul tempore etiam in primo instanti suæ creationis cognouit Deum. Si verò quæritur, vtrum hæc cognitio esset discursiua, respondeo, quod erat discursiua, in quantum discursus est progressus ab aliquo noto prius natura ad aliud notum posterius natura, sed simul tempore: ac non erat discursiua, in quantum discursus est progressus ab aliquo noto prius tempore ad aliud, quod tunc esset ignotum. Dum vltimius quæritur, vtrum Adam cognosceret Deum in ænigmati, quod importat obscuritatem, ut dicit S. Augustinus libr. 15. de Trinit. cap. 9. respondeo, quod quia omnis creatura est obscura, si comparatur cum infinita claritate diuinæ essentia, eo ipso, quod Adam Deum cognoscebat per creaturas, cognoscebat Deum per ænigma obscurum. At non cognoscebat Deum per ænigma obscurum obscuritate orta à peccato, in quo sensu nos cognoscimus Deum per ænigma, in quantum per sensibilibus occupationem impeditur à clara, & firma consideratione intelligibilium, ut dictum est num. 5.

8. Quæritur quinto, vtrum Adamo ante peccatum reuelata fuerint mysteria supernaturalia etiam Trinitatis, & Incarnationis?

Respondeo: certum videtur primo ex communi sententia, quod Adamo ante peccatum reuelata fuerint mysteria diuinitatis, & eleuationis ad finem supernaturalem supernaturalis beatitudinis. Nam Adā ante peccatum debebat se mouere ad suum finem supernaturalem: ergo debuit illi reuelari mysterium eleuationis ad finem supernaturalem, ut posset illud credere. Ex Apostolo enim ad Romanos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Idem dicit de alijs mysterijs in hoc mysterio inclusis, vel cum eo connexis.

9. Existimo secundo cum communi sententia contra paucos, Adamo ante peccatum reuelatum fuisse Christum, ac mysterium Incarnationis. Ita docuerunt Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. & 3. part. quæst. 1. art. 3. ad 5. Sanctus Bonaventura in 2. distinct. 23. Catherinus in cap. 2. Genes. Pererius lib. 5. in Gen. disput. de scientia Adæ, quæst. 4. Valentia tom. 1. disp. 7. quæst. 2. memb. 1. Suarez lib. 3. de opere

opere sex dierum, cap. 18. num. 8. & Vasquez 3. part. disp. 12. cap. 3.

9. Probatur ex Apostolo, qui ad Ephesios 5. relatis verbis, quæ Gen. 2. narratur dixisse: Adam, postquam ex eius costa formata est *Heua*, *Hoc nunc os de ossibus meis &c.* subdit *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & Ecclesia*: ergo ex Apostolo Adamus verbis illis prophetavit, ac proinde cognovit Sacramentum, quod adimpletum est in Christo, & Ecclesia. Ratio vero est, quia cum Christus deberet esse caput hominum, conueniens fuit, ut reuelaretur primo homini in via, ut in illū crederet. Quo pacto cum hac reuelatione Adæ facta ante peccatum stet, quod si Adam non peccasset, Verbum non fuisset incarnatum, explicabitur suo loco in tractatu de Incarnatione.

10. Existimo tertio cum sententia satis communi Adamo ante peccatum reuelatum etiam fuisse mysterium Trinitatis. Ratio est, quia ut docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 8. mysterium Incarnationis includit, vel supponit mysterium Trinitatis, cum mysterium Incarnationis consistat in hoc, quod Filius Dei factus sit homo, ac proinde quod in Deo detur Pater, & Filius, ac proinde pluralitas Personarum. Confirmatur auctoritate Epiphaniij, qui lib. contra Hereses in præfatione dicit. *Adam protoplastus formatus est, non circumcissus, sed carne præputium habens. Non autem erat Idololatra, & nouit Patrem Deum, & Filium, & Spiritum Sanctum. Propheta enim erat.* Hoc autem infra probat, quia nouit, quod Pater dixit Filio: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Videri possunt quæ diximus supra, quæst. 157. ostendentes mysteria eleuationis ad finem supernaturalem, & mysteria Trinitatis, & Incarnationis reuelata fuisse Angelis, dum essent in via.

11. Quæritur sexto, quam cognitionem Adamus ante peccatum habuerit de mysterijs illi reuelatis?

Respondeo, quod procul dubio de ipsis habuit cognitionem supernaturalem. Ratio est, quia habuit de illis cognitionem necessariam ad hoc, ut posset exercere actus meritorios finis supernaturalis; sed soli actus supernaturales possunt mereri finem supernaturalem: ergo habuit de mysterijs cognitionem necessariam ad faciendos actus supernaturales; sed ad faciendos actus supernaturales, & meritorios vitæ æternæ, necessaria est cognitio supernaturalis: ergo.

12. Quæritur septimo, vtrum cognitio, quam Adam habuit de mysterijs supernaturalibus, fuerit cognitio fidei infusa, vel cognitio altior fide?

Respondeo Alexandrum 2. part. quæst. 91. art. 2. memb. 2. & 3. part. quæst. 64. memb. 8. Sanctum Bonaventuram in 2. dist. 23. art. 2. qu. 2. & Gabrielem eadem distinct. art. 3. dub. 2. docuisse Adamum de mysterijs supernaturalibus non habuisse cognitionem fidei, sed co-

gnitionem altiorē fide, ac mediam inter fidem, & visionem Dei. Licet autem illam vocet fidem, tamen asserit, quod non fuit fides ænigmatica, qualis est nostra, sed lucida, qualis fuit fides Christi. Videtur hæc opinio desumpta ex Hugone Victorino, qui lib. 1. de Sacram. part. 6. cap. 14. dicit. *Cognovit homo creatorem suum, non ea cognitione, quæ foris solū, & auditu percipitur, sed ea, quæ potius intus per inspirationem demonstratur, non ea quidem, quæ Deus modo à credentibus absens fide creditur, sed ea, quæ tunc per præsentiam contemplationis scienti manifestius cernebatur.* Fundamentum est, quia fides obscura videtur repugnare perfectioni illius status.

13. Dicendum cum Sancto Thoma 1. part. quæst. 95. art. 3. & 2. 2. quæst. 2. art. 7. & quæst. 5. art. 1. quem communiter Theologi sequuntur, ac inter alios Suarius lib. 3. de Opere sex dierum, cap. 18. num. 24. Adam ante peccatum habuit de mysterijs supernaturalibus veram, & propriam cognitionem fidei infusam.

14. Probatur: nam Adam in statu innocentie erat purus viator, ac non viator simul, & comprehensor, sicut Christus: sed purus viator dirigitur fide ad exercenda opera supernaturalia, ac meritoria vitæ æternæ: ergo. Probatur min. ex Scriptura. Nam Abachuc 2. dicitur, *Iustus ex fide vivit*: Ad Hebræos 11. sine fide impossibile est placere Deo: 2. ad Corinthios 5. *Fides est substantia rerum sperandarum.*

15. Probatur secundo ex Patribus. Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 26. loquens de Adamo ante peccatum, dicit. *Gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Ambrosius lib. 7. in Luc. cap. 10. explicans parabolam hominis, qui incidit in latrones, dicit. *Adam nudatus est, mandati cælestis custodia destitutus, & exutus fidei indumento, lethale vulnus accepit.* Anastasius Sinaita lib. 4. Hexameron, circa initium dicit. *Quod in principio, & prima creatione Deus dedit Adamo exilem, & euandam lucem cognitionis: dum vocat lucem illam exilem, indicat non excessisse perfectionem fidei; vocat autem euandam, quia parum erat duratura.*

16. Adde Adamum ita habuisse cognitionem fidei, ut etiam eleuatus fuerit saltem aliquando ad illam perfectam contemplationem, quam viri Sancti, & Prophetæ in natura lapsa non raro obrinuerunt, ac de hac intelligendi sunt aliqui Patres, ac præsertim Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 1. dicens. *Homo in Paradiso assueuerat Dei verbis perfrui, Angelorum beatorum spiritibus cordis munditia, & celsitudine visionis interesse.* Sed sicut tales contemplationes, visiones, apparitiones, & raptus &c. non excluderant à Prophetis, & viris Sanctis cognitionem fidei, sic nec excluderant ab Adamo.

17. Ad fundamentum contrariæ sententiæ propositum num. 11. nego fidem fuisse contra perfectionem status naturæ integræ. Nam fides est solum contra perfectionem status comprehensoris, non autem contra perfectionem

nem status puri viatoris; sed Adam erat solum viator, non autem comprehensor; ergo. Ex opposita ratione Christus, quia ita erat viator, ut simul esset comprehensor, non habuit fidem.

18. Ad 1. distinguo maiorem: beatitudo perfecta, & propria patriæ consistit in visione Dei per essentiam, concedo; beatitudo perfecta, & quæ haberi potest in via, consistit in visione Dei per essentiam, nego maiorem: distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. Adam ante peccatum habuit solam beatitudinem imperfectam, & qualis haberi potest in via, non autem beatitudinem perfectam, quæ est propria patriæ: sed sola beatitudo perfecta, & propria patriæ consistit in visione Dei per essentiam, beatitudo autem imperfecta consistit in contemplatione Dei per creaturas, & coniungibili cum actibus fidei: ergo Adam non habuit visionem Dei per essentiam. Vide quæ de beatitudine Angelorum, dum erant in via, diximus supra, quæst. 181. Proportionaliter enim accommodari debent beatitudini Adami in statu innocentie.

19. Ad 2. concedo maiorem, & distinguo minorem: bona voluntas pro statu viæ nihil melius potest adipisci, quam visionem Dei, habendam pro statu viæ, nego minorem, & eius suppositum; ut habendum pro statu termini, concedo minorem; & nego consequentiam. Bona voluntas est recta, & ordinata; sed Adam voluntate recta, & ordinata non appetebat visionem Dei ut habendam pro statu viæ, sed solum pro statu termini: ergo ad hoc, ut Adam haberet quidquid bona voluntate poterat velle, & adipisci, non requirebatur, ut pro statu viæ haberet visionem Dei per essentiam.

20. Ad 3. Patet ex dictis. Nam num. 5. & sequ. explicatum est, quo genere cognitionis Adam in statu innocentie Deum cognouit.

QVÆSTIO CCLV.

Utrum Adam in statu innocentie Angelos per essentiam, & intuituè videret?

S. Tho. q. 94. art. 2.

1. **V**idetur Adam in statu innocentie vidisse angelos intuituè, & per essentiam: primo, quia Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 1. dicit. *In Paradiso assueuerat homo verbo Dei perfrui, bonorum Angelorum Spiritibus cordis munditia, & celsitudine visionis interesse:* ergo.

2. Secundo ex dictis quæst. 247. Anima separata, quia non impeditur à corpore, quod ut dicitur Sap. 9. aggrauat animam, cognoscit intuituè Angelos; sed anima primi hominis licet esset unita corpori, tamen à corpore corruptibili non aggrauabatur, neque impeditur à perfectione cognitionis, ut diximus

quæst. 254. num. 5. ergo cognoscebat intuituè Angelos.

3. Respondeo cum Sancto Thoma hac quæst. 94. art. 2. quod anima primi hominis non poterat quidem videre angelos intuituè, & per essentiam, sed tamen perfectius illos cognoscebat, quam nos cognoscamus in statu naturæ lapsæ.

4. Probatur prima pars, quod nimirum Adam non cognosceret angelos per essentiam. Ut enim cum Sancto Thoma quæst. 84. art. 7. diximus quæstione 246. anima dum est unita corpori, non potest aliquid intelligere nisi cognitione originata ex sensibilibus, & per conuersionem ad phantasmata, hoc est ad aliquod obiectum materiale per phantasmata propositum imaginationi: sed anima Adami erat corpori unita: ergo anima Adami non poterat connaturaliter ad suum statum, & modum essendi angelos, & alia immaterialia intelligere, nisi per conuersionem ad phantasmata, & ad aliquod obiectum materiale propositum imaginationi; sed per hunc modum intelligendi anima primo intelligit obiecta exteriora, & sensibilia, quæ sunt proprium obiectum intellectus uniti corpori, ac ex his ascendit ad cognoscenda obiecta immaterialia, & purè intelligibilia: ergo Adam in statu innocentie primo cognoscebat obiecta materialia, & sensibilia, & ex his ascendebat ad cognoscenda obiecta immaterialia, & purè intelligibilia, ac proinde angelos non cognoscebat intuituè, & per essentiam, sed per res materiales, & sensibiles.

4. Aduertit Sanctus Thomas ex Dionysio cap. 4. de diuinis nominibus, quod in motu, & assensu, quo anima ex cognitione materialium, & intelligibilium ascendit ad cognitionem immaterialium, & purè intelligibilium, considerari possunt tres gradus. Primus, & infimus gradus est, quo anima à cognitione rerum exteriorum, & sensibilibus ascendit ad cognoscendam se ipsam, & quodammodo aggregatur, & unitur intentionaliter sibi ipsi. Secundus gradus est, quo ulterius ascendit ad cognoscendos angelos, iisque intentionaliter unitur. Tertius est, quo ascendit ad cognoscendum Deum, qui est ipsum summum bonum, & summum ens. Iam actus intentionales possunt perfectè cognosce per suum obiectum proprium, & proportionatum: sed obiectum proprium, & proportionatum actuum, quibus anima intelligit per conuersionem ad phantasmata, sunt exteriora, & sensibilia: ergo anima per exteriora, & sensibilia ascendens ad cognoscendos reflexè suos actus intelligendi, potest illos perfectè cognoscere, & per suos actus intelligendi potest perfectè cognoscere seipsam, & suam potentiam intellectuam: siquidem potentia perfectè cognoscitur per suos actus. At cum anima à cognitione sui ipsius, & suorum actuum ascendit ad cognoscendos angelos, non potest illos perfectè cognoscere, sed solum imper-

perfectè. Ratio est, quia per actus, quibus intelligimus per conuersionem ad phantasmata, non possumus perfectè cognoscere naturam, quæ intelligit altiori modo, & sine conuersionem ad phantasmata per conuersionem ad purè intelligibilia; sed angeli cognoscunt non per conuersionem ad phantasmata, sed altiori modo per conuersionem ad purè intelligibilia: ergo anima dum à cognitione sui ipsius, & suorum actuum ascendit ad cognoscendos angelos, non perfectè, sed imperfectè illos cognoscit. Quia verò modus cognoscendi diuinus est multo altior nostro modo cognoscendi, ideò dum à cognitione animæ nostræ, & angelorum ascendimus ad cognoscendum Deum, multo imperfectius Deum cognoscimus, quam angelos. Adam igitur animam suā cognoscebat quodammodo perfectè, angelos cognoscebat imperfectè, Deum autem multo imperfectius, quam angelos.

5. Probatur iam secunda pars conclusionis, quod nimirum Adam in statu innocentie, ac naturæ integræ multo perfectius cognosceret angelos, quam nos illos cognoscamus in statu naturæ lapsæ. Vt enim diximus quæstione superiori, nos in statu præsentis naturæ lapsæ à consideratione plena, & lucida nostrorum actuum interiorum distrahimur, & impedimur ab objectis exterioribus, circa quæ occupamur, Adam autem per donum integritatis non impediatur: ergo clarius, & firmiter contemplantur suos actus, & suam animam, ac ex ipsis ascendebat ad angelos melius, & perfectius cognoscendos.

6. Ad 1. Quia licet Adam angelos non cognosceret intuitiue, & per essentiam, sed per conuersionem ad phantasmata, tamen illos contemplantur cognitione multo magis clara, & fixa, quam nos contemlemur, ideò Gregorius verbis citatis dicit, quod intererat Angelorum spiritibus.

7. Ad 2. Ideò anima separata connaturaliter cognoscit angelos per eorum essentiam, & sine conuersione ad phantasmata, & ad objecta materialia, quia habet modum essendi separatum à corpore, & ab omni materia: sed anima Adami in statu innocentie habebat modum essendi, per quem erat vnita corpori, & materie: ergo cognoscebat Angelos, non per essentiam, sed per conuersionem ad materialia, ac proinde non per species proprias, sed per species rerum materialium.

QVAESTIO CCLVI.

Virum Adam ab initio habuerit scientiam infusam naturalium, & supernaturalium?

S. Tho. quæst. 94. artic. 3.

1. **V**idetur Adam ab initio non accepisse scientiam infusam natura-

lium, primò quia indiuidua eiusdem speciei eodem modo debent consequi suam perfectionem: sed nos perfectionem scientiæ non habemus ab initio totam simul per infusionem, sed paulatim acquirimus experientia, studio, & disciplina: ergo Adam, qui erat eiusdem speciei nobiscum, perfectionem scientiæ non habuit ab initio totam simul per infusionem.

2. Secundo indiuiduis eiusdem speciei conuenit scientia eiusdem speciei: sed Adam erat eiusdem speciei nobiscum: ergo scientia Adami fuit eiusdem speciei cum nostra: sed si scientia Adami fuisset infusa, fuisset diuersæ rationis à nostra, quæ est acquisita: ergo scientia Adami non fuit infusa.

3. Tertio status viæ conceditur homini, ut paulatim proficiat, tum physicè in scientia, tum moraliter in merito per exercitium actuum honestorum: ergo potuit paulatim proficere in scientia per exercitium actuum intellectus: sed si ab initio accepisset scientiam infusam, non potuisset paulatim proficere in scientia: ergo.

4. Respondeo cum Sancto Thoma, ponendo tres conclusiones. Prima conclusio est: Adam ab initio accepit scientiam infusam omnium, quæ homines naturaliter studio, ac disciplina possunt cognoscere. Probatur: nam res conditæ sunt à Deo, non solum ut essent, sed etiam ut essent principia aliarum rerum: sed res, ut sint principia aliarum rerum, debent esse in statu perfectò, eo pacto, quo animalia ut generent sibi simile, debent esse perfectæ: ergo res debuerunt creari à Deo in statu perfectò, ac de facto animalia condita sunt in statu perfectò, & etiam plantæ, ac ipse Adam conditus est in statu perfectò quoad corpus, ita ut posset statim generare filios: sed Adam creatus est, non solum ut posset filios generare, sed etiam ut posset illos instruere, & gubernare: non potest autem quis alium instruere, nisi habeat scientiam perfectam eorum, in quibus alter debet instrui: nam signum scientis est posse docere, ut dicit Arist. 1. metaphysicorum cap. 1. ergo Adam debuit condici cum scientia perfectà omnium rerum, in quibus homines ab ipso generandi debebant posse instrui: sed homines ab Adamo generandi debebant posse instrui in omnibus, quæ possunt ab hominibus addisci studio, & disciplina, ac naturaliter possunt sciri: ergo Adam debuit condici cum perfectà scientia omnium, quæ possunt addisci studio, & disciplina, & naturaliter possunt sciri: sed naturaliter possunt addisci, ac sciri omnia, quæ virtualiter continentur in principiis per se notis: ergo Adam conditus fuit cum perfectà scientia omnium, quæ continentur virtualiter in principiis per se notis, adeoque cum omnibus scientiis naturalibus, tum speculatiuis, tum practicis, metaphysicis, physicis, mathematicis, logicis, & cum omnibus artibus: sed non potuit condici cum perfectà scientia omnium

nium naturalium, nisi tales scientiæ, ac species intentionales ad illas pertinentes acciperet à Deo per infusionem: ergo Adam scientias naturales, ac species intentionales ad illas spectantes accepit à Deo per infusionem.

5. Confirmatur primo: nam in omnibus generibus naturali ordine perfectum debet esse prius, quam imperfectum, & quod est actu debet precedere id, quod est in potentia, siquidem imperfectum debet procedere à perfecto, & ab illo perfici, eo pacto, quo infans imperfectus debet procedere à viro perfecto, & ab eodem perfici: & quod est in potentia debet reduci in actum ab aliquo, quod sit in actu, eo pacto, quo embryo, qui est potentia homo, debet procedere ab homine in actu: ergo prius debuit produci homo perfectus in scientia, & habens actu scientiam, ac proinde potens docere, quam homines scientes solum potentia, & potentes addiscere.

6. Confirmatur secundo: nam ut narratur Gen. 2. Adam imposuit nomina omnibus animalibus, & subditur: *omne enim, quod vocauit Adam anima viuens, ipsum est nomen eius. Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animalia, & omnia volatilia celi, & omnes bestias terre*; sed non potuit imponere nomina, nisi sciret linguam, ex qua illa nomina desumpsit, & nisi sciret naturas rerum, quibus nomina imposuit: ergo acceperat à Deo per infusionem notitiam linguæ, & scientiam de naturis animalium: & ex proportionali ratione acceperat scientiam infusam aliarum rerum naturaliter scibilium. Ideo Chrysostomus hom. 14. in Genes. ex hac nominum impositione infert sapientiam Adæ, dicens. *Nam quod magna sapientia præditus fuerit, discit ex his, quæ nunc sunt. Et adduxit illa inquit ad Adam, ut videret, quid vocaret illa. Fecit hoc Deus demonstraturus nobis magnam illius sapientiam. Et iterum, quid vocauit, inquit Adam, hoc est nomen illi. Factum autem hoc est, non ut discamus sapientiam illius solum, sed ut & symbolum domini per nominum impositionem cognoscatur &c.* Et paulo post; *Cogita quanta fuerit sapientia, volatilibus, reptilibus, feris, iumentis, & alijs brutis domesticis, & agresibus, & in aqua vitam agentibus, & à terra productis, & in summa omnibus congrua, & conuenientia sua naturæ imponere nomina.* Idem docent plures alij Patres. Confirmatur ex Ecclesiast. 17. ubi loquendo de primis hominibus, dicitur. *Disciplina intellectus repleuit illos: creauit illis scientiam spiritus: sensu impleuit cor illorum. & mala, & bona ostendit eis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum &c.*

7. Secunda conclusio est: Adam accepit etiam notitiam infusam mysteriorum supernaturalium.

Probatur: nam in creatione fuit ordinatus ad finem supernaturalem: ergo fuit creatus cum tanta notitia mysteriorum supernaturalium, quanta erat necessaria ad hoc, ut se moueret ad finem supernaturalem, & alios per gubernationem,

ad eundem finem dirigeret, ac proinde habuit notitiam mysteriorum supernaturalium, tantam, quanta illi statui conueniebat. Ideo habuit etiam notitiam Trinitatis, & Incarnationis, ut dictum est quæst. 255. num. 7. & sequentibus.

8. Tertia conclusio est: Adam non habuit scientiam, & notitiam infusam eorum, quæ nec naturali hominis studio cognosci possunt, nec sunt necessaria ad gubernationem vitæ humanæ, cuiusmodi sunt secreta cordium, futura contingentia, & quædam singularia, puta quot lapilli iaceant in flumine, & alia huiusmodi. Ratio est, quia Adam debuit habere scientiam infusam eorum tantum, de quibus debebat posse homines instruere: sed non debebat posse homines instruere, nisi de ijs, quæ naturali hominis studio cognosci possunt, ac de ijs supernaturalibus, quorum notitia est necessaria ad hoc, ut ordinarent suam vitam ad finem supernaturalem, ad quem natura humana fuerat eleuata: ergo

9. Ad 1. distinguo maiorem: Individua eiusdem speciei, quæ accipiunt esse per naturalem generationem, eodem modo debent consequi suam naturalem perfectionem, concedo: si aliquid eorum accipiat esse per creationem à Deo, ut sit principium cæterorum, nego maiorem: concedo minorem: & nego consequentiam. Individua eiusdem speciei, quæ accipiunt esse per naturalem generationem, eodem modo debent consequi suam naturalem perfectionem. Sed quia in generationibus naturalibus non potest procedi in infinitum, sed debet perueniri ad aliquod individuum, quod non sit generatum ab alio individuo eiusdem speciei, sed sit creatum à Deo, tale individuum, sicut non accipit esse per generationem, sed creatur à Deo, ut sit principium, à quo procedant alia individua per naturalem generationem, sic non debet accipere suam perfectionem naturalem paulatim, sicut alia individua, sed totam simul, ut possit illam alijs indiuiduis communicare, ut explicatum est num. 4.

10. Ad 2. concedo totum primum argumentum, in quo infertur scientiam Adami fuisse eiusdem speciei cum nostra, ac distinguo subsumptum: si scientia Adami fuisset infusa per se, fuisset diuersæ rationis à nostra, concedo: si fuisset infusa solum per accidens, fuisset diuersæ rationis à nostra, quæ est acquisita, nego subsumptum: & nego consequentiam. Duplex est scientia infusa: prima est infusa per se, secunda est infusa per accidens. Scientia infusa per se est, quæ non potest ab homine naturaliter studio, & disciplina acquiri, & hæc est diuersæ rationis à scientia naturaliter acquisita. Scientia infusa per accidens est, quæ potest studio, & disciplina acquiri, sed de facto à Deo infunditur: potuisset enim Deus Aristoteli scientiam, quam studio, & disciplina acquisuerat, ab initio ipsi infundere totam simul. Scientia per accidens infusa

po.

potest esse eiusdem rationis cum acquisita. Deus igitur Adamo ab initio infudit totam simul scientiam naturalem, quam potuisset paulatim studio, & disciplina acquirere, quæ proinde fuit eiusdem rationis cum scientia, acquisita aliorum hominum. Confirmatur, & explicatur. Nam Adam perfectam staturam, perfectas vires, ac perfectam virtutem generandi, quam ceteri homines acquirunt paulatim, accepit à Deo totam simul, & tamen statura, vires, & potentia generandi data, Adamo fuerunt eiusdem rationis, ac speciei, cum statura, viribus, & potentia generatiua, quas ceteri homines acquirunt paulatim; ergo à pari. Similiter vt dicit Sanctus Thomas in resp. ad 1. *Oculi, quos cæco nato Deus dedit, non fuerunt alterius rationis ab oculis, quos natura produxit: ergo nec species intentionales rerum naturalium Adamo infusæ à Deo fuerunt diuersæ rationis à speciebus intentionalibus, quas alij homines acquirunt.*

11. Ad 3. Concedo totum primum argumentum, in quo concluditur, quod Adam potuit proficere in scientia, ac distinguo subsumptum: si Adam ab initio accepisset scientiam infusam omnium naturalium, non potuisset in scientia naturalium proficere quoad numerum scitorum, concedo; quoad modum sciendi, nego. Quia Adam acceperat à Deo scientiam infusam omnium naturalium, non potuit circa naturalia proficere quoad numerum scibilem: at potuit proficere quoad modum sciendi. Nam cum accepisset à Deo per infusionem scientiam solum intellectualem, non autem experimentalem rerum naturalium, potuit paulatim acquirere scientiam experimentalem naturalium. Quia verò etiam Christus, licet haberet scientiam infusam, potuit proficere paulatim in experimentalibus, Luc. 2. 52. dicitur de illo: *Iesus proficiebat sapientia &c.* Addit S. Thomas in resp. ad 3. quod Adam in cognitione supernaturali potuit proficere etiam quoad numerum scitorum per nouas reuelationes, sicut Angeli etiam beati proficiunt per nouas illuminationes, vt dictum est quæst. 195. Addit rursus, quod quia Adam fuit conditus, vt esset alijs hominibus principium scientiæ, non vt esset principium meriti, ideo non est eadem ratio de profectu in scientia.

QVÆSTIO CCLVII.

Vtrum Adam ante peccatum potuerit decipi?

S. Thomas q. 94. ar. 4.

1. **V**idetur potuisse decipi. Ideo enim Adam non potuisset decipi, quia

habebat naturam integram: sed Heua habebat naturam integram, non minus, quam Adam, & tamen non solum potuit decipi, sed de facto fuit decepta: ergo. Probatur minor: nam 1. ad Timotheum 2. dicitur: *Mulier seducta in prauaricatione fuit, & Magister in 2. dist. 21. dicit, quod ideo mulier non horruit serpentem loquentem, quia officium loquendi eum accepisse à Deo putauit.*

2. Secundo virtus visiva in homine per peccatum non est limitata, neque diminuta; sed nos per virtutem visuam decipimur circa magnitudinem rerum valde distantium, puta circa magnitudinem Solis, qui nobis apparet vt palmaris, cum sit multo maior globo terrestri: ergo etiam Adam fuisset deceptus.

3. Tertiò vt dicit Augustinus lib. 2. de Genes. ad litteram, dum somniamus, adhæret anima similitudini, tanquam ipsi rei: sed Adam in statu naturæ integræ dormisset, & somniasset: ergo adhæsisset similitudinibus, tanquam rebus, & sic fuisset deceptus.

4. Quarto Adam nescisset secreta cordium, futura contingentia, & alia huiusmodi, vt dictum est quæst. 256. num. 3. ergo potuisset circa secreta cordium per mendacium, ab aliquo decipi.

5. Respondeo duas esse sententias. Prima, quam refert Sanctus Bonaventura in 2. dist. 23. art. 2. quæst. 2. & censet satis probabilem, licet illi non adhæreat, docet Adamum ante peccatum non potuisse decipi circa materiam ab illo scibilem, sed potuisse decipi circa materiam opinabilem, puta circa secreta cordium, circa futura contingentia, & alia huiusmodi, sed ita, vt opinioni falsæ non firmiter adhæreret, sed leui quadam opinione, & estimatione. Hanc sententiam refert etiam Sanctus Thomas hoc ar. 4. q. 94.

6. Secunda sententia communis docet Adamum ante peccatum potuisse aliqua quidem ignorare, puta secreta cordium, futura contingentia &c. sed circa nullum obiectum potuisse positivè decipi, ac errare. Docuerunt hanc sententiam S. Thomas hoc ar. 4. quæst. 94. & quæst. 18. de verit. art. 6. & in 2. dist. 23. quæst. 2. art. 3. Sanctus Bonaventura eadem dist. Durandus ibidem, quæst. 3. quos sequuntur communiter Theologi, & ex nostris Suarius lib. 3. de opere sex dierum, cap. 10. n. 3 & seqq.

7. Dicendum cum hac sententia: Adam, & Heua licet circa quædam obiecta potuerint habere ignorantiam negatiuam, tamen ante peccatum circa nulla obiecta potuerunt positivè decipi, & errare, assentiendo falso assensu firmo, vel non firmo, & leuiter opinatiuo.

8. Probatur primò ex Augustino, qui hanc sententiam tradit pluribus locis, ac præsertim lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. num. 12. dicens: *Approbare falsa pro veris, vt erret innuitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.*

Z z z z

Pro-

9. Probatur secundo ratione. Nam homines in natura integra poterant quidem carere aliquibus bonis indebitis carentia puræ negationis, sed non poterant pati vllum positivum malum corporis, vel animæ: e.g. corpora primorum hominum carebant quidem claritate, & alijs dotibus, quibus prædita erunt corpora beatorum post resurrectionem, sed non poterant pati vllum malum doloris, ægritudinis, mutilationis membrorum &c. sed vt docet Aristoteles 6. Ethicorum, cap. 2. sicut verum est bonum intellectus, sic falsum est malum ipsius: ergo anima, & intellectus primorum hominum poterat quidem carere aliqua notitia secretorum cordis, futurorum contingentium &c. sed non poterat pati malum positivum erroris, deceptionis, ac falsæ opinionis. Maior probatur ex S. Augustino, qui lib. 14. de Civit. cap. 10. de statu innocentie dicit: *Erat deunitas tranquilla peccati, qua manente, nullum aliud malum, quod contristaret, irruerat*; & in Enchiridio, cap. 16. & sequentibus ex professo probat quemcumque errorem, etiam in materia leuissima ad mala huius vite deputandum esse: ac lib. 11. de Gen. ad litt. docet Heuam non fuisse à serpente decipiendam, nisi iam per superbiam peccasset, ac proinde supponit illam ante peccatum non potuisse decipi.

10. Probatur tertio ex rectitudine status naturæ integræ. Rectitudo enim illa consistebat in hoc, vt quandiu anima maneret Deo subiecta per obedientiam, tandiu in homine inferiora subderentur superioribus, & superiora non impedirentur ab inferioribus: sed vt cum Sancto Thoma quæst. 85. art. 6. diximus supra quæst. 243. num. 3. intellectus non potest per se, sed solum per accidens decipi, & errare circa proprium obiectum, ac ex se ipso nunquam decipitur, sed omnis deceptio accidit in intellectu ex aliquo inferiori, puta ex sensu, phantasia, vel etiam ex inordinatione voluntatis, vt cum prorumpimus in iudicium temerarium: ergo in statu naturæ integræ, in quo superiora non impediebantur ab inferioribus, intellectus non poterat decipi ex sensu, vel phantasia: sed neque poterat decipi ex inordinatione voluntatis: nam cum illa inordinatio fuisset peccaminosa, eo ipso non fuisset deceptus ante, sed post peccatum: ergo.

11. Confirmatur, & explicatur: nam intellectus circa ea, de quibus habet evidentiam, errare non potest: circa ea, de quibus non habet evidentiam, potest errare, sed non errat necessario, siquidem inevidentibus non necessario assentitur, nisi ex defectu phantasie, vt cum iudicatorium in somno est ligatum: ergo cum non decipitur à phantasia, non potest errare, nisi à voluntate libera determinetur ad assentiendum incertis, & inevidentibus; sed in statu naturæ integræ non poterat errare ex defectu phantasie, & propter perfectionem illius status homo obligabatur ad non

exponendum se periculo erroris, libere assentiendo obiectis incertis, ac tenebatur solum, iudicare de probabilitate talium obiectorum, de qua probabilitate haberet evidentiam: ergo nisi peccaret, libere se exponendo periculo errandi, non posset errare, ac decipi, ac proinde Adam ante peccatum non potuit errare, ac decipi. Quia verò hæc impotentia errandi consistebat in integritate, & rectitudine illius status, ex qua etiam oriebatur obligatio non assentiendi obiectis incertis, integritas autem, & rectitudo status innocentie erat donum supernaturale, vt dicitur q. 260. ideo impotentia errandi in statu naturæ integræ erat donum supernaturale.

12. Ad 1. concedo maiorem, & distinguo minorem: Heua errauit, ac decepta est à serpente ante peccatum operis, concedo: ante peccatum internæ elationis, nego minorem: & nego consequentiam. Heua decepta est ante peccatum operis, hoc est antequam comederet de pomo vetito, sed post peccatum internæ elationis. Vt enim dicit S. August. lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 30. *Mulier verbum serpentis non crederet, nisi iam inesset menti eius amor superbia potestatis, & quadam de se superba præsumptio*. Ad autoritatē Magistri, qui dicit, quod Heua non horruit serpentem loquentem, quia putauit eum officium loquendi accepisse à Deo, respondet primò S. Thomas, quod sine errore potuit putare serpentem à Deo permittente, habuisse officium loquendi, non per naturam sed per operationem superiorem alicuius Angeli. Secundo respondet non esse necessarium quoad hoc sequi auctoritatem Magistri.

13. Ad 2. Homines sapientes videntes Solem vt palmarem, remum in aqua vt fractum, & alia huiusmodi, non decipiuntur, quia per rationem iudicant Solem non esse palmarem, ac remum in aqua non esse fractum: ergo à fortiori Adam, qui erat sapientissimus, circa hæc obiecta non fuisset deceptus.

14. Ad 3. De facto experimur, quod in somno non semper erramus, nec adhæremus imaginibus, tanquam rebus, sed aliquando aduertimus nos somnare: ergo Adam somnians propter donum rectitudinis, qua ratio superior non poterat decipi, vel impediri à phantasia, non adhæsisset imaginibus, tanquam rebus, sed aduertens se somnare, seruasset intellectum ab omni errore immunem.

15. Ad 4. Ex dictis num. 11. Adam ante peccatum obiectis incertis non præstitisset assensum, sed solum iudicasset de ipsorum probabilitate: ergo circa talia obiecta non errasset.